

Experimentum anatomicum, quo arteriarum lymphaticarum existentia probabiliter adstruitur, institutum, descriptum, et icone illustratum / à Jano Bleuland.

Contributors

Bleuland, Jan, 1756-1838.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Abrahamum et Janum Honkoop, 1784.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pcp6h4ka>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

10

EXPERIMENTUM ANATOMICUM,

Q U O

ARTERIOLARUM
LYMPHATICARUM
EXISTENTIA
PROBABILITER ADSTRUITUR,
INSTITUTUM, DESCRIPTUM, ET ICONE
ILLUSTRATUM.

à

JAN NO BXEUX A ND,

M D C C L X X X I V.



LUGDUNI BATAVORUM,
APUD ABRAHAMUM ET JANUM HONKOOP,
M D C C L X X X I V.

АМЫМОТАИЛ МУТИАМПАКЕ

С 9

МУЯЛОГАПТЯ
МУЯЛОГАПТЯ
МУЯЛОГАПТЯ
МУЯЛОГАПТЯ
МУЯЛОГАПТЯ

eorum progressus & terminatio nequeat adhuc certo definiri, quibus detegendis lubenter operam dabo, si occasionem ejusmodi experimenta instituendi in posterum nanciscar.

Tametsi igitur de finibus horum vasculorum nondum simus certi, haud tamen defunt probabiles de iis conjecturæ, neque alienum ab hoc loco est, speculationes quasdam ab analogia ductas hic subjungere: varii scilicet exitus excogitari possunt, suntque jam ab aliis propositi, quod patet ex diversis variorum Auctorum, quos ante excitavi, sententiis.

Definere enim possunt in cellulas, & in has rorem lymphaticum effundere, qui post brevem stagnationem condensatus, per venas ex iisdem cellulis resorbeatur; & hoc sane modo rem se habere in partibus nostri corporis illis, quæ tales substantiam cellularem habent, fere evictum est experimentis Clarissimi MONROI & J. HUNTERI, qui idcirco originem lymphaticorum ex cellulis solis derivarunt; recte quidem in partibus nonnullis, utrum universim vere? dubito.

Verti etiam possunt, & probabile est verti passim in venuulas lymphaticas, quæ paulatim con-

E fluen-

fluentes venis rubris inosculentur, & hæc est sententia anonymi Au^toris, qui creditur esse Clarissimus SENAC, vid. Anat. HEISTERI cum tractatu de usu partium Tom. I. p. 281. Tales venarum sanguiferarum communicationes omnino existere, merito colligimus, ex annotatione Clarissimi FALCONAR, qui, licet in priorem sententiam pronior fuerit, tamen veritatis amans, ingenue fatetur ad Tomum 3. operum HEWSONI, sibi s^æpissime contigisse, ut sub venularum lymphaticarum impletione, Mercurius, absque ullo extravasationis vestigio, in venas sanguiferas transierit, quo permotus, probabiliter sane ab experimentis ibi memoratis, sic concludit rationem:

Anastomosin in glandulis lymphaticis congregatis inter vasa minora: scilicet tortuosa. lymphatica ipsa ac venam glandulæ sanguiferam, intercedere, se nunquam antea credidisse; attamen, immediatam inter vasa lymphatica & minimos venæ glandularum congregatarum ramulos, anastomosin esse, nullum amplius post has observationes dubium apud se manere. Mercurium enim, in globulos minimos divisum, ductu continuo ex vasibus lymphaticis glandulæ in venæ ramulos transiisse, nec quid-

quidquam in glandula extravasatum apparere, nec liquidum adeo ponderosum in resorbentia vasa alio modo intrare potuisse, nisi per anastomosin, sive inosculationem, qua extremitates vasculorum intra glandulam immediate necantur, & continuuntur.


Quin etiam aliis adhuc præter memoratos modus est, & a vero minime alienus videtur; quid enim credere nos vetat, arterolas, nostro experimento patefactas, illas adire venas excolores valvulosas & irritabiles, quæ hodie per excellen-tiam Vasa Lymphatica appellantur, aut glandulas, his intertextas, præcipue in partibus membranosis? Ego certe huic sententiæ nullum novi argumentum contrarium.

Quamcumque vero amplectamur opinionem, manet semper aliquid incerti. Quid? Si statuamus, non omnes arterolas lymphaticas uno eodemque terminari modo, sed diversos in diversis partibus corporis habere exitus; sic forte a Natura omnium minime discedemus. Meretur res ulteriorem investigationem, quam quidem ipse, si Deus otium & opportunitates concederit, lubenter periclitabor; sed dum adhuc occasio deest, non

36 DE ARTER. LYMPHATICIS.

committendum esse putavi, ut fortunatus experi-
menti, a nemine vel instituti vel certe evulgati,
eventus silentio premeretur; optans, & propter
novitatem phænomeni sperans, fore, ut Naturæ
Curiosi hoc Physiologicum thema, quod fere de-
relictum est, quia exhaustum credebatur, resum-
mant, perficiantque!

T A N T U M.



V I R I S,
MUNERUM GRAVITATE, ET MERITORUM
AMPLITUDINE CELEBERRIMIS;
GUALTHERO VAN DOEVEREN,
EDUARDO SANDIFORT,
JOHANNI DAVIDI HAHN,
NIC. GEORG. OOSTERDYK,
JOAN. FIL.

QUORUM OPERA ERUDITIONIS MEDICÆ LAUS
IN ACADEMIA BATAVA
CONSTITUITUR, SERVATUR, AUGETUR;
QUIBUS ETIAM, QUIDQUID IN HOC OPUSCULO
EJUSQUE AUCTORE EST, INGENI SI MODO
ALIQUID SIT, DEBETUR OMNE;
ANIMUM TESTATUS BENEFICIORUM MEMO-
REM, GRATUMQUE,

D. D. D.
A U C T O R.

З А І В

МІЛОТИЯМ ТА ЗТАТІВА МІКЕМУМ

АМПУТАЦІЯ СІДАРІВІ

СІДАРІО ДЕВЕРЕЛ
СІДАРІО САНДІГ
ІОАННІ ДАВІД
ІІІ. ГЕОРГ ОСТАЯН

засід почати ампутація відро місце

Ista quidem, et si Medicum non faciunt,


Medicinae tamen aptiorem reddunt.

С Е Л С У С

засід почати ампутація мінім

з фіброзо міл

АДА
ЛОТОСА



D E
ARTERIOLIS
LYMPHATICIS.

Quamquam assidua praxeos medicæ officia, quæ ad libitum nostrum nequaquam ordinari possunt, a cæteris Studii Medici partibus fere abstrahunt, & quod a visendis curandisque ægris supereft tempus, annotandis, quæ memorabiles sunt, observationibus, & legendis probatorum practicorum scriptis, me jubent impendere: est tamen Physiologicum quoddam exercitium mihi propter utilitatem & jucunditatem, quas jam tironi attulit, adeo dilectum, ut ex toto illud dimittere nequeam, nec putem debere, cum sit verum Medicinæ ratio-

A

2 D E A R T E R I O L I S

tionalis fundamentum, indagationem volo fabricæ
Corporis Humani.

Primis, quos in Academia Batava Studio Me-
dico deditus transeggi, annis, inter paucas, quas-
simul frequentabam, prælectiones, semper maxi-
mo ardore illas adii, quibus Corporis Humani
strœctura exponitur; & in toto academicæ vitæ
curriculo, quod breve non fuit, & integro anno
Lustrum excessit, nullum (præfiscine dixerim)
momentum inter illas transeggi sine oblectamento,
atque utilitatis aliquo fructu.

Postquam per aliquod tempus cadaverum partes
artificiose dissectas videram, atque illarum de-
monstrationibus auditor interfueram, licuit mihi
etiam ultra Biennium Clarissimi Præceptoris S. A.
N. DIFORTII privatis de methodo dissecandi uti
institutionibus, & sub hujus Viri præsidio cultel-
lum cadaveribus admovere. Mirifica mihi appa-
rebant quævis a primo punceto ossificationis ad va-
stissimos musculos & maxima adulti viscera: pro-
ut gradatim ad subtiliores præparationes ducebar,
sic pariter crescebat cum admiratio artificiosissimi
organi, quod Corpus Humanum vocamus, tum
eius magis magisque pernoscendi desiderium; nec
sane

sane minuebatur hoc desiderium, quum progressu temporis a nuda anatome ad Physiologiam ipsam accederem. Imprimis inspectio pulcerrimorum præparatorum, quæ immortalis ALBINUS incomparabili dexteritate confecit, & quibus magni hujus Viri Clarissimus Frater ad illustrandam, quam eo tempore explicabat, physiologiam utebatur, acres ad prosequendum microcosmi scrutinium stimulos adjecit.

Modum & instrumenta, quibus hæc naturæ investigatio institui debet, candide & benevole Clarissimus Præceptor VAN DOEVEREN mecum communicavit, eadem omnino, quibus ipse hic inclytus Vir magno cum successu usus est in comparanda collectione nitidissima præparatorum physiologicorum, quæ in suos, suorumque auditorum usus adhucdum servat. Vel sic tamen, cum ego operi manus admoveare inciperem, multa se se obtulerunt propositum retardantia. Difficillima erat acquisitio cadaverum; difficile, aptam parare materiem, eaque impletas partes secare, atque a se invicem discernere illæfas, opus ut insuetum, sic arduum. Per varios tamen casus, & multa tentaminum discrimina patienter, & seduloper-

gens, eo deveni, ut primo partes majores, vasæ majora implendo, aptare ad conservationem didicerim, tandemque mihi tam felici esse contigerit, ut partium humanæ machinæ ferme omnium, (quousque acies oculorum nos ducere potest) structuram subtiliorem, ultimosque vasorum sanguiferorum ramulos, ex sic diætis *præparatis*, mea manu factis, cognoscere, & adhucdum sæpiissime maximo cum oblectamento speculari queam.

Necdum tamen hisce satiatus, prout in arte implendi vasa sanguifera profeceram, ita sensi desiderium crescere ad subtiliorum etiam organorum autopsiam perveniendi. Navigaveram quidem per oceanum & majora flumina, rivulorum autem, per abditas microcosmi regiones decurrentium, iter mihi nondum cognitum erat: videram sanguinem ex cordis ventriculis, per aërtam & pulmonalem arterias, ad quascumque corporis particulas, ope minimorum ramulorum ferri, quasi a centro ad peripheriam: videram ex circumferentia hoc fluidum reduci per venas, ad sinus ejusdem mirabilis musculi: incognita vero manserat via, quam humores subtiliores, dum a sanguine secedunt, ingressi sequuntur. Ideoque methodos

hanc

hanc viam detegendi, aliis Anatomicis usitatas, diligenter legi, & saepius quidem, nec tamen eo, quem mihi optabam & promittebam, cum successu imitatus sum. Enim vero aqua vel aëre saepius vasa arteriosa, rarius venosa, aliquando ductus excretorios glandularum ita implevi, ut in conspectum venirent vasa lymphatica, quibus mercurium injicere avebam, sed destitutus instrumento satis subtile rostrum habente, ut in talis vasculi tenuius, quod sese oculis & manibus offerebat, initium introduci posset, non poteram.

Itaque injectionem a majori trunco incipiens facere tentavi: hoc autem non successit, propter valvulas semilunares, quas neganti BILSIO post acria jurgia RUY SCHIUS olim demonstravit ad oculum, a NUCKIO etiam pulcre delineatas, adeo, ut præsentiam illarum nemo postea in dubium vocaverit, & ego certe post illa experimenta vocare non possim; etiamsi minus accurate, quam revera sunt, a recentioribus etiam Anatomicis essent descriptæ.

Ut ergo antecessoribus nostris, sic etiam mihi videre licuit, ex arteriis quidem præcipue, sed & ex venis atque ductibus excretoriis glandula-

6 DE ARTERIOLIS

rum humores tenuiores ad vasā lymphatica posse transferri; quomodo autem hicce fieret transitus, cum multis in medio relinquere cogebat. Variorum quidem auctorum de hoc transitu opiniones perlegeram, sed tamen horum experimenta, quum rem non ad oculum demonstrarent, dubitantem me hucusque reliquerant; ideoque aliam quandam viam & rationem, qua hæc res investigari posset, dein quæsivi, & animo conceptam tandem tentavi; quo successu, doceat ipsum experimentum, quod fideliter primum narrabo, deinde, quid cum ratione concludere nobis permittat, exponam. Hoc argumentum; hic ordo est hujus dissertatiunculae.

Scilicet, ut dubitatione de vasorum lymphaticorum primo exortu me liberarem, cœpi mecum de præparanda meditari materia, eam habente tenuitatem, ut minima etiam vasa subire posset. Nam cum Mercurio equidem experimenta tentaveram; sed hic duas propter rationes scopo meo non potuit respondere: prima est, quia retinet post injectionem suam liquiditatem, qua fit, ut simulac sub præparatione partium felicissime impletarum exile quoddam læditur vasculum,

fum, materies illico effluat, & inanita sic vasa non amplius conspici queant: altera ratio est, quod injectionem per arteriam facere, & coloribus distinctis transitum ab uno vasorum genere ad aliud notare, ac discernere cupienti, mercurius sene nequaquam inservire poterat.

Aliam ergo viam ingressus sum; duos paravi liquores (*materies vulgo vocamus*) ad impletionem vasorum idoneos: materiam ceraceam rubram adeo tenuem, ut in minima, quæ sanguinem vehunt, vascula posset penetrare; & materiam albam, quæ subtilitate rubram multum superabat; has dein commixtas adhibui, eo consilio ac spe, fore ut simul in trunculum immisæ, si offenderent oscula vasorum, quorum angustia colorem rubrum non admitteret, facile separentur, & a se invicem discederent, sic, ut alba materies, rubram relinquens, intraret sola exiliissimas fistulas. Pigmentum rubrum erat materies subtilissime trita, sed in fluido, quicum commiscebatur, chemice non solubilis. Alterum vero, quod albam præstabat materiem, perfecte solvi poterat.

Priusquam autem in cadaveris quadam parte hæc peri-

S DE CARTERIOLIS

periclitatus sum, experimento simplicissimo tentavi, utrum mixta illa materies ad tale propositum esset idonea; nempe saccellum ex aluta factum firmissime ad fistulam siphonis anatomici aptavi, dein certam materiae injiciendae mensuram in siphonis ventrem infudi; mox embolo lente detruso materiem leniter in sacculum impuli, sic ut hic multum quidem expansus, at tamen ad externam superficiem siccus esset; ad hanc superficiem oculos nunc acrius intendens, dum emboli depressionem lenissime continuabam, ecce video instar sudoris hinc inde innumeratas guttulas humoris pinguisculi, penitus excoloris, nec quidquam rubri habentis: quo viso protinus inhibui embolum, & notavi accuratissime locum in cavo siphonis, ubi embolus stabat; mox illud leniter deprimere redorsus sum, donec animadvertebam guttulas exsudantes, quae ante perexiles & excolores erant, mole crescere, & colorem induere carneum; unde cognoscebam, materiem albam quidem satis facile, ut speraveram, a rubra secedere, sed, porulis alutae continuato pressu dilatatis, subtilissimas etiam tintæ materiae particulas transmitti; quod simulac fieri cœpit, iterum notavi terminum,

nūm, ad quem embolum erat depresso, eo consilio, ut caverem sub impletione alicujus partis humani corporis, ne ad hanc notam embolum in siphone detruderetur.

Omnibus sic præparatis, sumsi portionem intestini duodeni e cadavere viri adulti, qui, quo morbo extinctus fuerit, non novi. Hujus intestini, post debitam in calidâ macerationem, venas cœrulea materie implevi, quæ tamen non æque subtilis erat ac rubra ante memorata, quam arteriis destinaveram, ne scilicet ex venulis in arterio-las transiret; qui transitus universum opus irritum reddidisset. Venis repletis, materiam ex rubra & alba mixtam debita circumspectione & patientia in arteriam immisi, sensim ac lente embolum trudendo, usque dum ad notam, sub experimento primo memoriæ causa factam, pervenit; vidi lætus intestinum, vasis felicissime impletis, paulo magis rubore atque turgere, quam in statu naturali solet; unde pulcherrimum jam nascebatur spectaculum ex complexibus reciprocis coeruleorum venularum, atque rubrarum arteriarum. Post refrigerium statim cupidus perquirebam, num aliqua in mesenterii aut intestini particula scopum

10 D E A R T E R I O L I S

tetigisse; sed quamvis injectio tam fuerat se-
cunda, ut nullibi aliqua, ne minima quidem, in-
jectæ materiæ extravasatio inveniretur, nec pun-
ctum in tota parte unum rubro aut cœruleo co-
lore non tinctum esset, nullum tamen vasculum
album reperire potui: in superficie quidem inte-
stini, prope mesenterium, lymphatica nonnulla
aëre turgebant, sed hæc brevi collapsa evanue-
runt; in mesenterio autem accuratam eorum in-
vestigationem prohibuit pinguedinis aliqua copia.
Partem hujus intestini in spiritu conservo, quæ ad
exteriorem suam superficiem pulcerrime mon-
strat, quam perfecte sit ars naturam imitata; ad
interiorem autem, valvulas KERKRINGII ex-
hibet villis innumeris valvulosis instructas: aliam
ejusdem partem siccavi, quæ oculo nudo lamel-
lam ruberrimam offert, hinc inde cœruleis surcu-
lis distinctam; sed accuratius inspecta & exami-
nata exhibet reticulum vasculorum tenuissimorum
inter se invicem contortorum, atque convoluto-
rum, quorum tamen decursus nihil certi docet
propter exsiccationem, qua naturali major vascu-
lorum horum cohærentia producta est. Hic igitur
experiundi modus quoniam voto & exspectationi

meæ

meæ haud satisfecit, constitui protinus aliam intestini partem tentamini subjicere; & in ejus impletione contigit mihi successum æque plenum habere, ac in priori; sed in hujus partis præparatione aliam secutus sum methodum, scilicet, ut exilisimorum vasculorum decursus post injectionem feliciter peractam rite perspiceretur, tunicas intestini a se invicem separandas esse necessarium duxi; hanc tamen encheiresin in exteriore tunica sola adhibere potui: materies enim rubra aliquam fluiditatem conservarat, & vasorum ab una tunica ad aliam transeuntium disscisionem dissuadebat; in tunica autem externa minorem ista vascula difficultatem, utpote multo exiliora, pariebant: hanc ergo separatam prudenter siccavi, quum viderem, dum recens erat, minimos arteriolarum ramulos in ea esse, qui, postquam siccata fuit, distinctius apparuerunt, & simillimi omnino sunt arteriolis illis, quas immortalis ALBINUS in *annotationibus academicis Libr. 3. Tab. I.* pulcerrima iconē exhibuit. Hujus jam tentaminis eventum ut plene perspicerem, *præparatum* diligenter examinavi, usus primum conspicillo plus octies objecta augente, cujus ope cernebam quidem latus hinc

inde surculum album, sed non tam clare, ut de ejus origine mihi certo constaret: mox igitur microscopium anatomicum, quod dexterimus LIONET pro villis intestinorum tenuium a Clarissimo LIBERKUHNIO descriptis in usum vocavit, adhibui, & hoc non minus miranda quam jucunda mihi exhibuit spectacula. Operam dabo, ut quæ se obtulerunt intuenti, fideliter enarrem; quæ quidem adjecta tabula, magno labore ad naturam picta, ulterius explicabit.

Tunica hæc extima intestini duodeni ex fibris longitudinalibus & transversis contexta est, quod sub microscopio distincte percipi potuit, & in delineatione etiam recte expressum est; hoc autem a sculptore notari non potuit, quia alba vascula supra naturalem membranæ colorem non sat manifeste eminebant, quod dolui, quare nigrum penitus pro eo in ictone colorem accipere coactus fui. Jam per hanc tunicam distributi cernuntur minimi arteriarum surculi, discissi sunt a majoribus ramis, per vasculosam atque muscularem tunicam decurrentibus. Trans microscopium hæc vasa contemplanti paulo crassiora videntur, quam in ictone redditæ sunt, quod studiose factum est,
ne

ne parerent confusionem, in delineandis subtilioribus, quæ mox describenda sunt, vasculis; quod si illa, prout sese habent in *præparato*, comparentur vasculis, quæ L. C. Cl. ALBINUS delineavit, & pro minimis arteriolis habuit, ad amissim cum his convenire deprehenduntur, quin imo exiliora videntur, quam quæ exilissima in ALBINI sunt iconē. Atqui magnus hic Vir pro ultimis arteriis ea habuit, neque ego pro finibus arteriarum rubrarum habere dubito; quibusnam vero organis arteriolæ istæ tenuiores humores tradant, ex sequentibus patebit.

Nunc enim ad præcipuam fortunati experimenti partem venio, scilicet admirabile illud reticulum e vasculis exilissimis factum, quæ solam materiem albam, rubra tenuiorem, admiserunt, quorum subtilitas omnem exspectationem superat.

Exoriuntur, quod non nisi sub microscopio sat is apparet, ex arteriolis minimis; inter se communicant, & reticulum illud componunt, quod tam subtile, simulque densum est, ut nullum aciculæ punctum ferme poni potuerit, quin vasculum aliquod tangeretur. Eadem porro juxta arterolas rubras decurrent, & per longitudinem in-

testini & ramos transversos se porrigunt, sed ad exteriorem tantum tunicæ partem locata videntur; utique tunica, sub eodem vitro ad alteram partem spectata, ferme nulla exhibuit vasculorum horum albicantium vestigia, discessos autem arteriolarum rubrarum ramulos evidentissime.

Pulcerrima est horum vasculorum ramificatio, & ab arteriis sanguiferis, & à venis plane diversa, utique in hac, de qua agimus, parte. Inter omnes vero ramifications, quas in aliis Corporis Humani membranis videmus, nulla est, cui hæc nostra tam prope accedat, quam ramificatio arteriolarum minimarum per pericardium distributrum, modo diametros excipiamus. Quæ enim in pericardio infantis oculis nudis conspicuntur diametrum multo majorem ostendunt, quam nostræ arteriolæ in membrana hac adulti hominis sub microscopio.

En Benevole *Lector!* veram facti experimenti historiam, & fidam eventi narrationem, quam cum Naturæ Curiosis ut communicarem, plurimum de re medica & anatomica meriti Viri haud indignam esse judicarunt.

Sub

Subjungere narrationi epicrisin quamdam necessarium duxi, ex qua pateat, quænam sit hujus experimenti vis; quid doceat & quo probabilitatis gradu; & quid denique impedit, quo minus certam inde rationis conclusionem facere ausim. Prima igitur quæstio est: *detecta hoc artificio vascula alba cujus sint generis?* quæ ut expediatur necessarium omnino est, de vasis lymphaticis paulo plenius dicere: Hujus vero nominis magna est ambiguitas, quæ removeri nequit, nisi varias variorum auctorum de istis vasis, eorumque ortu sententias breviter perlustremus.

Vasa Lymphatica vel latiore sensu sumuntur vel strictiore: & hodie quidem ut plurimum restringitur nomen ad venas illas pelluentes, quæ admodum multis valvulis instructæ, & irritabiles valde sunt, succum excolorem aut album aut levissime rubescentem ex variis corporis partibus adductum thoracicum vehentes, & per hunc inventam subclaviam effundentes. Majores autem nostri, certe complures eorum & celebiores, multo latiorem huic nomini significationem tribuere solebant, ut non tantum vera illa *Lymphatica*,

fed

sed etiam arteriolas venulasque omnes sanguinem
excludentes eodem complectentur.

Imprimis **BOERHAVIUS** Arteriolas Lymphaticas assumere non dubitavit, suaque auctoritate effecit, ut unanimi ferme consensu existere credentur.

Nemo tamen, quod sciam, ad oculum eas unquam demonstravit; argumenta vero pro earum existentia apud multos inveniuntur: Alii Physiologi silentio illas praeterierunt, neque de eorum praesentia neque de absentia aliquid affirmarunt. Postea Celeberrimi extiterunt Viri, qui arterias lymphaticas prorsus negantes lymphatica vasa, tanquam peculiare sistema venarum ex textu celuloso nascentium considerarunt, atque de gloria inventae hujus originis bellum inter se gesserunt.

BARTHOLINUS ex arteriis ultimis produci vasa lymphatica voluit, quia lympham rubellam vel sanguine tinctam in eis viderat; quod quidem argumentum demonstrat, ut opinor, succum in vasibus lymphaticis contentum a sanguine secerni; non vero evincit rectam dari inter arteriosa & lymphatica vasa viam.

MAL-

MALPIGHIUS postquam multum laboris in hac investigatione impenderat, professus tandem est, sese rem in dubio relinquere debere; probabilem tamen arteriarum lymphaticarum existentiam assumit, scribens diserte: *a quonam fonte derivetur materia Lymphæ, adhucdum queritur? Probabile tamen censetur, hanc ab arteriis velut a communi penu emanare, cum interdum sanguine suffuso &c.*

NUCKIUS autem ex suis experimentis, quæ in adenographia curiosa memorat, colligit, vas lymphaticum aliquando immediate oriri ex ultimo arteriolarum ramulo, aliquando ex venulis minimis, aliquando ex folliculis, inter arteriolam minimam & initium vasis lymphatici interpositis; ostenditque suis figuris pulcerrimis lymphaticorum in variis partibus decursum, eorumque ad glandulas aditum, & ex iis egressum. Aliam equidem non possumus viam excogitare, qua natura tenuiores humores a sanguine separet, sed tamen egregius ille Vir non videtur primum hunc transitum suis percepisse oculis, saltem stricto sensu non demonstravit, sed autopsiæ defectum ratioci-

nio supplevit; quo factum est, ut ejus sententia suos etiam adversarios nacta sit, nonnullis parum, aliis multum ab eo dissentientibus.

COWPERUS in explicatione *tab. 36. fig. 1.* & *tab. 41. fig. 5.* operis BIDLOI solum ortum ex arteriis & venis assumxit, folliculos rejicit, non certioribus profecto argumentis nixus, quam NUCKIUS. BERGERUS deinde sententiam COWPERI etiam ex parte tantummodo probavit, & ex solis arteriarum finibus vasa lymphatica prodire affirmavit, rejectis æque venis ac folliculis; non tantum, quoniam flatu vel artificiosa aquæ aut Mercurii in arteriam injectione impletantur vasa lymphatica, sed etiam, quia secundum MARCI AURELII SEVERINI experimenta, quantitas seri duplo sit major, in sanguine arterioso, quam in venoso. Atque hæc opinio, per notable temporis spatium, apud plerosque celeberrimos etiam physiologos accepta est, & in honore manfit. Quod si meum interponere judicium liceat, dixerim, experimentum illud SEVERINI docere quidem, quod vasorum lymphaticorum pleraque ab arteriis suos humores accipere debeant, sed modum, quo hos accipient, nequaquam declarare:

utrum

utrum scilicet per medios folliculos? an per vasorum anastomosin? an alia ratione? denique non evincere vasa lymphatica e venis nulla oriri. DIERMEROEKIUS hoc loco excitari meretur, qui lymphatica ex glandulis congregatis produci asseruit passim, sed unde primo capiant ortum, non satis clare explicuit; alio autem loco *Capitis* 22. NUCKII sententiæ propinquior, pro directa vasorum lymphaticorum ex arteriis ac venis origine stare videtur.

PHILIPPUS VERHEYEN in *Anatomiae tract.*
1. Cap. 5. *Vasa lymphatica* [inquit] sunt exigui canales, tunica constantes admodum subtili, ac pellicula, humorem limpidissimum ad massam sanguineam transferentes. Idem alio loco docet, hæc vasa glandulas in transitu salutare, & humorum in iis secretorum tenuissimam partem secum rapere. De primordiis autem eorum nihil præterea habet.

In *Atropographia* a Clarissimo DRAKE edita videmus pulcerimas horum vasorum delineationes, multis ex partibus, præcipue autem ex superficie pulmonum desumptas; sed verum inde principium & origo non cognoscuntur. Sunt, qui a

nervis originem lymphaticorum deduxerunt, ut
GLISSONIUS & DE LE BOE SYLVIVS; est
autem hypothesis nullo certo argumento fundata.

Pro venarum in Lymphatica exitu fuerunt J. C.
A. HELVETIUS; vid. *Lettre au sujet critique de M. BESSE.* p. 215; & **HECQUET** pte.
2. p. 17. *novi conspectus medicinæ.* **ZELLERUS**
iterum ex glandulis congregatis solis procedere
lymphatica voluit. **LISTER** vero *de Humoribus;* & **BIANCHI** in *Historia hepatica Fig. 1.*
Cap. 7. ostenderunt, vasa hæc non solummodo
ex hisce glandulis nasci, sed & in aliis partibus
non glandulosis inveniri; quod etiam nuperis Clari-
fissimi **HEWSONI** laboribus confirmatum est; cu-
jus Viri egregiam Lymphatici Systematis descri-
ptionem doctissimus mihique amicissimus **T H. V.**
D. WYNPERSSE M. Dr. ex anglico in latinum
sermonem vertit, & optimus noster Praeceptor
HAHNIVS præfatione de lympha & lymphaticis
ornavit lectu digna, cum nova multa de hoc ex-
colore corporis succo contineat. Quin etiam du-
dum ab Anatomicis demonstratum notatumque
est, hæc vascula maxime prope glandulas congo-
batas reperiri, & per eas transire, sed jam lon-
gum

gum absolvisse iter, ante quam eas attingant.

Hodie imprimis viget eorum sententia, qui vasa hæc ex cavis majoribus & ex cavernulis celluloso telæ nasci, atque produci docuerunt; estque profecto experimentis **HALLERI**, **DEDIERII**, **MONROI**, **HUNTERI** aliorumque clarorum Virorum satis quidem evictum, in celluloſo textu hæc vasa reperiri; sed hæc ipsa, quæ ad oculum demonstrari possunt, majoris sunt generis, ideoque non optimo jure pro exilissimo vasorum ſystemate possunt haberi. In Clarissimi **HEWSONI** tabulis vasa lymphatica artuum e textu cellulari venientia egregie repreſentantur, ſed multo ſunt crassiora quam arteria minima vel venula, vel ductulus excretorius, adeoque inde tantummodo patet, naturam per textum cellulosum distribuiſſe ſystema vasorum peculiaris ſtructuræ, limpidum humorem vehens, quod ad reducendos, qui ex oleofa parte ſupersunt, nutritios humores inſerviat; non autem, ut opinor, inde ſequitur, per totum corpus extendi illud ſystema vasorum absorbentium, & nullibi ortum ex vasis ſanguiferis ducere, quæ tamen certiſſime colandis tenuioribus humoribus inſervire poſſe intelliguntur.

Multi autem & optimi Anatomici, in quam se inclinarent sententiam, dubii hæserunt: sic VATERUS an ex arterioso, an ex venoso sanguine lympha in hepate oriatur, sub judice litem esse monet, in dissertatione *de novo biliis diverticulo*. DAUGLAS in dissertatione de *Hydrocele* etiam incertam originem lymphaticorum pronunciat; nec aliter WINSLOUS, atque LIEUTEAUD.

Sed missis prioribus ad novissimos accedamus Auctores, quorum de ortu & usu lymphatici apparatus doctrina hodie potissimum celebris est. Hos inter eminet illustris Physiologus Scotus ALEXANDER MONRO, qui anno 1757 librum edidit, in quo demonstrare nititur, vasa lymphatica neque ex arteriis, neque ex venis immediate oriri, sed ubique intercedere cellulas aut folliculos, in quos vasa sanguifera lympham effundant; hanc inde a lymphaticis resorberi, & per glandulas paßim duci, paulatimque ad communem truncum deferri: verbo, lymphatica vasa per universum corpus originem ex cellulosa tela, nec aliunde habere censet. Itaque contra alios Auctores, qui origines vasorum lymphaticorum ex arteriis assūmserunt, ita disputat, ut primo eorum

rum experimenta non sufficere pronunciet demonstrandæ huic assumptioni; dein directe suis periculis evincere conetur, nullibi ex arteriis, sed ubique ex celluloso textu lymphatica derivari.

Et sane, quod primum spectat, subtilibus rationiis & magno judicii acumine, argumenta theoretica, quibus priores Physiologi suam sententiam adstruere soliti sunt, refellit, demonstrans, non modo ex eorum argumentis non sequi, quod inde collegerunt, sed etiam pene contrarium, si quidem eorumdem experimenta sibi magis, quam ipsis faveant.

Quo circa fatendum nobis est, NUCKII atque COWPERI experimenta, non certo declarare, Lymphaticorum initia esse fines ultimarum arteriolarum, si quidem ipsi Auctores testantur, cellulas multas prius tursisse, quam intumescentia Lymphatica oculis apparuerint. Nimirum illi Viri injectiones in partibus fecerunt glandulosis, quæ multis cellulis præditæ & admodum complicatae sunt, verum, quo serì ex sanguine egressus in interioribus horum viscerum fiat, modum patefacere nequeunt.

Recte igitur Clarissimus MONRO experimen-
ta

ta eorum sic interpretatur, ut neget amplius ali-
quid inde sequi, quam quod in hisce partibus
communicatio inter vasa lymphatica *majoris ge-*
neris & telam cellulosam intercedat; *majoris ge-*
neris expresse addo, quoniam vasa æque ac cel-
lulæ oculis nudis percipi potuerunt; unde conci-
pere licet materiem injectam ex arteriolis ultimis,
ob exilitatem & abditam intra hæc viscera sedem
oculorum aciem fugientibus, in minora vascula
transiisse, quæ sensim in progressu crescendo cel-
lulas istas adeant, impleantque suo succo: uti ma-
iores lymphaticorum truncos, ad glandulas con-
globatas ire a RUY SCHIO & NUCKIO jam de-
pictum est, qui tamen ideo initia horum vasorum
in hisce glandulis non posuerunt. Quod ad alte-
ram spectat Monroianæ argumentationis partem,
mihi videtur ex Clarissimi Viri experimentis om-
nino sequi, in multis Corporis Humani locis, ve-
nas reperiri lymphaticas, quæ absorbeant, admo-
dum valvulosas; nequaquam vero per injectiones
ab illo factas demonstratum esse, vasa lymphati-
ca unum & distinctum sistema venarum absorben-
tium constituere, per universitatem corporis dis-
positum, & nulla in parte ex arteriolis sanguife-
ris

ris directe arterolas lymphaticas procedere; & hoc quidem posterius cum pag. 40. egregii sui tractatus ex iisdem etiam experimentis sequi affirmet, rationem festinantis, quam par est, conclusisse videtur.

Nec sane absurdum est suspicari, in testiculo, liene, & hepate, quæ nominatim ad suam sententiam comprobandam excitat, & pro demonstratione ad oculum a se servari dicit, primas lymphaticorum radiculas jam ante fuisse impletas, quam materies ad cellulas pervenerit; namque & **R U Y S C H I U S** & **N U C K I U S** & **C O W P E R U S** cellulas etiam turgentes & exinde lymphatica vasa prodeuntia viderunt, nullam tamen de extravasatione mentionem in suis experimentis faciunt; hanc vero ab oculatissimis illis Viris esse prætervisam, quis credat? Itaque cum illis statuere nobis licet ad cellulas istas posse materiem absque extravasatione transmitti; modum autem non ad oculum ostenderunt; **R U Y S C H I U S** tamen inquit; „*hoc tempore creditum est, arterias solummodo inservire sang uini in partes deferendo; at falsum est: nam in triplicem commissuram eas iam olim naturaliter disperitas exposui, nempe in*

D

Anat.

26 DE ARTERIOLIS

Anat. Conchyl. anno 1694 edita. neque in majoribus visceribus, spongiosam substantiam habentibus, satis accurate investigari hunc posse judico.

LEEUWENHOEKIUS in *Arcano detecto* quidem perhibet, sese vidisse vasa, quæ solos globulos serofos admittant; cuiusnam autem generis hæc sint, non certo definivit; arteriosa tamen esse videntur, utique in partibus membranosis, velut in tunica sclerotica, aucto a tergo impetu humorum, & minuta partium resistentia, apparent vascula, quæ arteriosam exhibent ramificationem, non conspicua in statu naturali; unde patet, illa tunc humores excolores vehere, & sanguifero systemati non debere adnumerari. Jam quæro; hæc vascula ubi & quorsum decurrent? Cuiusnam generis est humor, quem vehunt? Nonne uti majora vasa lymphatica glandulas majores pertranseunt, quod autopsia docet, natura eundem potuit ordinem servare in fabricandis exilibus istis partibus, quæ aciem oculorum fugiunt? Nonne ergo probabile est, has arteriolas ad venulas ferme ejusdem diametri non conspicuas transire, & has venulas diametro incre-

ercentes, cellulas istas salutare, quæ oculo conspicuæ sunt & ex iis demum maiores prodire ramos? Et huic explicationi favere videntur observata **BARTHOLINI** supra jam memorata, nempe quod lympham in vasibus lymphaticis sanguine tinctam saepius viderit: sanguinis enim particulæ in illis secundum naturam non adsunt: & tamen a sanguine lympha derivatur; debet ergo aliquid esse in Lymphaticis, quod impedit, quo minus particulæ rubræ vasa hæc ingrediantur; quod si Lymphatica solo ex textu celluloso oriantur, & ex ejus cavernulis lympham resorbeant, peragunt hoc officium osculis ad absorbendum aptatis, in quibus proinde naturam irritabilem contractionis atque relaxationis productricem assumere debemus, quo posito, apertum est, oscula illâ a particulis rubris in cellulosam forte effusis, quas juxta naturæ legem suscipere non debent, sic affici, ut potius nimiam contractionem subeant, quam ampliationem: ex tali igitur fabricatione non tam facile sanguinem admitterent, quam si vasa hæc per continuationem tuborum ultimis arteriis jungi ponamus. In hoc enim casu nihil aliud requiritur, nisi sanguinis impetus in arteriis

au^tus, & minuta resistentia in vasis lymphaticis, quæ dilatationem non difficulter admittunt; ut ex memorata, de scleroticæ vasculis præter naturam rubentibus, observatione intelligitur; atque etiam in hydropicis corporibus hæc facilitas dilatationis, quam vasis lymphaticis tribuimus, manifesta est. Sed liberales simus & concedamus, quod nequaquam demonstratum est, in rene, lie-ne, & hepate vasa lymphatica absorbentia tantummodo esse, neque cum arteriis vel venis dire^cte communicare; an inde sequitur, eadem in omnibus corporis partibus esse fabricam?

Temere prosector sic concluderemus; si quidem analogia evidenter refragatur; nam, ut alia exempla mittam, constat certe in partibus quibusdam spongiosis de venis sanguiferis omnino verum esse, quod per hypothesin de Lymphaticis hic ponimus; & tamen nemo, nisi anatomes plane expers, de venis in universum hoc affirmabit.

Levius forte argumentum est, quod ab auctoritate ducitur, nec tamen negligenda mihi videatur Virorum, qui & ingenio & usu claruerunt, sententia; velut N U C K I I nostri, &, qui hunc se-

cutus est, LISTERI, qui Nuckianis argumentis alia adjecit, quibus probabile redditur, vasa lymphatica in nonnullis partibus pariter ex arteriarum finibus directe produci, ac in aliis ex tela cellulosa.

BIANCHI quoque in *Historia Hepatica* inquit, *forte vasa lymphatica nascuntur lateraliter ab arteriarum apicibus, qui fines sunt earum, simulque venarum principia.* Quin etiam ante hos eadem stetit sententia RUDBECKIUS, ut patet ex dissertatione, sub ejus præsidio anno 1661. defensa ab OLAO FIGRELIO. Longum foret, omnes recensere auctores, qui hanc opinionem tuiti sunt, et fere sufficit unum excitasse BOERHAVIUM, qui, cum præcessorum suorum & æqualium experimenta & rationes summo ingenii acumine expendisset, non dubitavit, arteriarum lymphaticarum existentiam assumere in *institutionum medicarum* §. 245. quo circa consentientem quoque habuit magnum suum discipulum, & Physiologiæ commentatorem A. HALLERUM, qui expressis verbis ad hanc paragraphum dicit, „*dantur ergo arteriæ lymphaticæ non conspicuæ, dum*

„venæ utpote majores conspicuntur;” Idemque HALLERUS, postquam per quadraginta annos incredibili studio & labore naturam consulere, omniumque Anatomicorum observationes legere, ac recognoscere perrexisset, in eadem sententia mansit, quod intelligimus ex novissima physiologicī pinacis editione, quam extremo gloriosæ vītæ anno curavit, ubi accurata Lymphaticorum historia prostat *Tom. I.*

Neque fundamento caret, quod Celeberrimus Anatomicus TH. LAURENCE in dissertatione de hydrope statuit, *„vasa lymphatica, inquiens,*
„tanta exilitate ex extremis suis arteriis prodeunt,
„ut conspectum nostrum orientes omnino fugiant, at
„rivulorum more inter progrediendum confluentes
„sensim majores evadunt, atque satis tandem con-
„spicuæ fiunt.”

His igitur Clarissimorum Virorum consentientibus quasi testimoniis cum experimenti mei even-
tu collatis, sisus profiteor, veterum de origine
vasorum lymphaticorum sententiam mihi maxime
arridere. Quid enim? Rubræ in meo præparato
arteriolæ, quæ minimis ejusdem membranæ arte-
riolis in Albiniana dissertatione & figura ad amus-
sim

sim respondent, an non pro finibus arteriarum sanguiferarum haberi possunt, ac debent? Crediderrim omnino debere; primo, propter summam Albini auctoritatem, nihil unquam temere sistentis, nunquam sola aliorum sive nixi, nihil, quod non ipse viderit, ac saepius recognoverit, assumere soliti: deinde ob ipsam harum arteriolarum exilitatem, quippe quae vix decimam capilli humani partem diametro sua aequaliter: denique ob summae tenuitatem materiae rubrae, qua ad injectionem usus sum, utpote adeo subtilis, ut choroideae atque retinæ vascula, ad parem rubedinem, atque has membranas impleverit, quaeque tamen in his vasculis stetit, nec eorum fines potuit egredi.

Quae cum ita sint, ut concedi debere videantur, veri quoque simillimum est, vascula, ultimis illis arteriolis proxime continuata, cum rubram materiae partem excludant, albam vero subtiliorem eadem directione admittant, & tamen hac penitus impleta nudum fugiant oculum, nec nisi armato se conspicienda praebent, diversum a sanguifero constituere systema, & novam vasculorum seriem inchoare. Quod etiam probabilius fit, si diligeniter, & saepius preparatum, ejusque de-

delineationem intuentes animadvertisamus, hæc vascula non ad parvam distantiam ingressu albæ materiæ turgefacta, sed adeo feliciter impleta fuisse, ut appareat eorum diversam plane ab arteriis esse ramificationem.

Quæ cum ita sint, nonne veri est simillimum, arterias rubras exferere ramos, qui sanguinem recipere nequeant, sed solam lympham in his angustiis a sanguine secedentem admittant? Nonne porro analogia nos dicit, ut credamus, his arteriolis lymphaticas respondere venulas, quæ lympham, ab illis per universum corpus vehi solitam, reducant?

Priorem profecto hujus sententiæ partem experimenti nostri eventus videtur extra dubium ponere; alteram autopsia nondum declaravit, sed tamen analogia probabilem reddit. Scilicet finem, quem arteriolæ albæ habent, per hoc experimentum determinare nondum possumus; quoniam intestinum ante præparationem jam a mesenterio, quod pinguisculum erat, disjunxeram, ut ejus tunicas facilius a se invicem separare, eoque hæc vascula melius in conspectum ducere possem; sed & hoc inde natum est incommodeum, ut ulterior

^{eorum}

Ms. bound in wrong order: for 33 & folij. Ms.
see after Titel

